

Samuelis Battierii, [...], oratio de studii linguae Graecae utilitate atque commodis, deque aptissimo modo & ratione facillima studium illud incipiendi, [...]

Autor(en): **Battier, Samuel**

Objektyp: **Article**

Zeitschrift: **Museum Helveticum ad juvandas literas in publicos usus apertum**

Band (Jahr): - **(1748)**

Heft 12

PDF erstellt am: **15.08.2024**

Persistenter Link: <https://doi.org/10.5169/seals-394634>

Nutzungsbedingungen

Die ETH-Bibliothek ist Anbieterin der digitalisierten Zeitschriften. Sie besitzt keine Urheberrechte an den Inhalten der Zeitschriften. Die Rechte liegen in der Regel bei den Herausgebern.

Die auf der Plattform e-periodica veröffentlichten Dokumente stehen für nicht-kommerzielle Zwecke in Lehre und Forschung sowie für die private Nutzung frei zur Verfügung. Einzelne Dateien oder Ausdrucke aus diesem Angebot können zusammen mit diesen Nutzungsbedingungen und den korrekten Herkunftsbezeichnungen weitergegeben werden.

Das Veröffentlichen von Bildern in Print- und Online-Publikationen ist nur mit vorheriger Genehmigung der Rechteinhaber erlaubt. Die systematische Speicherung von Teilen des elektronischen Angebots auf anderen Servern bedarf ebenfalls des schriftlichen Einverständnisses der Rechteinhaber.

Haftungsausschluss

Alle Angaben erfolgen ohne Gewähr für Vollständigkeit oder Richtigkeit. Es wird keine Haftung übernommen für Schäden durch die Verwendung von Informationen aus diesem Online-Angebot oder durch das Fehlen von Informationen. Dies gilt auch für Inhalte Dritter, die über dieses Angebot zugänglich sind.

(*) SAMUELIS BATTIERII,

Medicinæ Doct̄oris,

ORATIO

de

Studii Linguæ Græcæ Utilitate atque
Commodis, deque aptissimo Modo &
Ratione facillima Studium illud incipiendi,

D. 15. Aprilis 1704.

Cum Auspiciâ Vicariatus Linguæ Græcæ
Professionis in Acad. Basil. caperet, dicta.

OMnem qua universum genus humanum
conflictatur miseriam, ab una spurcissi-
ma scaturigine ignorantia provenire, haud
existimo, nisi mentem ab ipsius hujus
ignorantiæ caligine obcœcatam prorsus habeat,
quemquam esse qui non adgnoscat. Atque adeo
optime excellens ille Philosophus Socraticus Cebes
in Pinace, monstro illo, quod cum turpitudine,
tum immanitate terrificum ab antiquis confinge-
batur, Sphinge, ignorantiam istam repræsentari non
L1 2 dubi-

(*) Batterianas has prælectiones, quæ ad commendanda atque promovenda Linguæ Græcæ studia, magnam vim habent; debemus insigni humanitati præstantissimi Viri juvenis J. WERNH. HERZOG, Basileens. qui huic nostro instituto mirifice favet. J. B.

dubitabat affirmare: Ἡ γὰρ ἀφροσύνη, inquit Ce-
 bes, τοῖς ἀνθρώποις σφίγξ ἐστίν, ἀνίτηται δὲ καὶ τά-
 δε, τί ἀγαθόν, τί κακόν; τί ἔτε ἀγαθόν, ἔτε κα-
 κόν ἐστίν ἐν τῷ βίῳ; ταῦτ' ἔν ἐάν μή τις συνίη, ἀπόλ-
 λυται ὑπ' αὐτῆς ἐκ εἰσάπαξ, ὥσπερ ὁ ὑπὸ τῆς Σφίγγος
 καταβρωθεὶς ἀπέθνησκεν· ἀλλὰ κατὰ μικρὸν ἐν ὅλῳ τῷ
 βίῳ καταφθείρεται, καθάπερ οἱ ἐπὶ τιμωρίᾳ παραδιδ-
 μενοί, quæ Latinis vocibus ita exprimi possunt:
*Ignorantia quippe hominibus Sphinx est: Et vero talia
 proponit ænigmata, quid in vita bonum sit, quid ma-
 lum? quid neque bonum neque malum? Ista igitur si
 quis non intellexerit ab ipsa perit non præcipitata qua-
 dam morte, ut ille qui a Sphinge devoratus morieba-
 tur; sed lente per totam vitam interit, quemadmodum
 illi, qui diutinis suppliciorum tormentis excrucianti tra-
 duntur. Ne itaque homines in omne tempus mi-
 feriis istis crudeliter conficiantur, in nihil aliud eos
 majori incumbere oportet cura, quam ut liberari
 possint ab ignorantia, quæ profecto monstrum
 est, quo fœdus, quo calamitosius nec esse, nec
 cogitari possit ullum:*

Monstrum horrendum, informe, ingens, cui
 lumen ademtum. Quæ vero nos ab illa res libe-
 ret alia inveniri potest nulla, quam intelligentia &
 veritatis cognitio; Cebes porro: Ἄν δέ τις γνῶ,
 ἀνάπαλιν ἢ μὲν ἀφροσύνη ἀπόλλυται, αὐτὸς δὲ σώζεται,
 καὶ μακάριος καὶ εὐδαίμων γίγνεται ἐν παντὶ τῷ βίῳ. Si
*quis vero intellexerit, illa nimirum ænigmata, quid
 in vita bonum sit, quid malum? quid neque bo-
 num neque malum? vice versa ipsa ignorantia perit,
 ille vero servatur, perque omnem vitam felix atque bea-
 tus evadit. O nos vero ter & amplius vere fortu-
 natos! quos a teterrimo isto vindicatos monstro*
 igno-

ignorantia Optimi Dei benignitas ita erudiri concessit, ut non tantum in hoc præsentì tempore, sed in omnem æternitatem beata vita frui possimus. Hoc autem tale tantumque Dei beneficium abundantè in nos homines rivo deducitur unice per salutarem Scholarum atque inter eas præcipue Academiarum constitutionem; Hæ sunt quæ nos in hæc vitam quasi projectos, omni rationis usu destitutos, omnis veri rectique ignaros, imo omni fere prorsus humanitate orbatos, blando sinu excipiunt, Dei cognitionem instillant, justì rectique discrimina docent, morum optimorum virtutisque cultu expoliunt, & sensim sensimque in veros homines formant: Hæ sunt bonæ mentis officinæ, bonarum artium & scientiarum armamentaria, divinæ humanæque Sapientiæ fontes, Religionis fulcra atque stabilimenta, Reipublicæ thesauri & bases, omnis denique quod hominibus contingere possit boni promi condique fidelissimi. Itaque merito Amplissimi Reipublicæ atque Academiæ nostræ Proceres hætenus omni laude prosequendam impenderunt operam, ut præstantes eruditione atque doctrina Viri haberentur, qui Juventutem in alma hac nostra Academia vario litterarum atque cognitionis genere erudirent, & optimis quibusque mature excolerent: Inter quæ jure optimo recenseri meretur Lingua Græca, cujus publice docendæ provinciam ante dicti Amplissimi Proceres Clariss. V. D. *Job. Bernoullio* M. D. & Mathem. Profess. Groning. Celeberr. ante aliquod tempus dederunt: postquam Exper. & Clariss. Vir D. D. *Eman. Koenig*, qui per aliquot annos illo munere fungebatur, ad Physicam docendam esset translatus in locum Viri Excell. atque Exper. D.

D. *Zuingeri* ad medicam Professionem evecti, Ex-
 per. & Excell. D.D. *J. Jac. Rothio* ad cœlestes pro-
 fecto: Is vero prædictus Clariss. D. *Bernoulli* cum
 ob graves causas ipsemet adesse nondum possit,
 Ampliss. Senatus Acad. non ita pridem Vicarium
 illius Professionis munus demandare mihi dignatus
 est. Parcite vero Auditores Honoratissimi, parci-
 te precor, me, quod ita loquar, nec meam in
 Græcis Literis peritiam hic elevem, taciti jactan-
 tiæ insimulare: Stulte verecundus certe videtur is,
 qui studiorum illorum quæ docenda suscepit, im-
 peritum se esse profitetur: & sic nil aliud effecerit,
 quam ut aut insignis impudentiæ argui possit ipse-
 met, aut judicium in iis, qui ipsum ad id destina-
 runt, requiri. Ego itaque Auditores honoratissi-
 mi! hanc Spartam mihi commissam pro viribus
 ornaturus, hac vice functionem meam, quod
 Deus Ter O. M. felix faustumque esse jubeat, ita
 auspicabor, *ut quædam de eximia studii Linguae Græ-
 cæ utilitate atque commodis breviter proponam, dein
 etiam ostendam, quinam modus aptissimus & ratio fa-
 villima in illo studio incipiendo atque prosequendo tenenda
 esse videatur.* Quod dum facio Vos Auditores omni-
 um Ordinum Honoratiss. etiam atque etiam rogo
 quæsoque, benevole & patienter me audire velitis.

Hominem a natura, vel ut aptius loquar,
 a Deo *ἀντιστοιχῶ πάλιν*, impressum sibi habere de-
 siderium varia & multa cognoscendi, haud diffi-
 culter consideranti manifestum est: Hoc vero de-
 siderium, ut homini, si dexteram nactus mature
 fuerit directionem, dici facile non potest quanto-
 rum causa sit bonorum: ita e contrario, si is cæco
 impulsus impetu desiderium illud inconsiderate se-
 quatur, in non minora præceps ruit infortunia;

Hinc

Hinc multos observamus inaniter curiosos vanis, inutilibus, difficilibus nugis stolide occupatos, miseram atque ærumnosam trahere animam. Quæ profecto horum hominum infortunia adhuc eo magis miseranda videntur esse, quo minus ea ab illis adgnoscentur; ut proin etiam tales vix ullo remedio emendabiles existimari possint. *Ἐὶ βέλεια ἀγαθὸς εἶναι, πρῶτον πίστευσον· ὅτι κακὸς εἶ.* Si vis bonus esse, primum crede, quod malus sis: ut dixit Antiquus ille apud Stobæum in Eclogis Moral. c. 1. Et primus certissimusque ad Sapientiam gradus est stultitia caruisse. Permultum ergo interest ad quamnam res studiosa juvenus primis statim annis addiscendas sese applicet: Animus quippe ineptiis semel repletus, &, ut Platonis verbis Epist. 7. utar, *παρὰ κλισμάτων μεσὸς*, ægre & non nisi maxima cum difficultate meliora admittere potest. Atque adeo cum sapienter ille dixerit: *Ὁ χρησιμὸς εἰδὼς, ἔχ' ὁ πόλλ' εἰδὼς σοφός.* Qui utilia, non qui multa novit, sapiens est. Utilibus profecto imbuendum esse animum dubitationi locus nullus est relictus. Utilia vero neutiquam ea intelligenda sunt, quæ a vulgo talia plerumque habeantur, aut quæ forte nos vulgo suspiciendos atque mirandos efficiant: major pars hominum vana maxime mirari solet, & optima quæque tanquam *ἔδον πρὸς τ' ἀλφίνα*, spernit. Usque adeo apud vulgum, tanquam in magno & impetuoso quodam fluvio, solidæ & gravioris momenti res quæque absorberi, & in imo reconditæ oculis subtrahi observantur; dum paleæ, quisquiliæ, & id genus res nihili passim enantant, & omnium conspectui obviam eunt. Utilia itaque illa studia vocanda sunt, quæ ad pulcherrimarum & honestissimarum rerum & scientia-

rum cognitionem nos ducunt; quæ mentem nostram tanquam nobilissimam hominis partem perficiunt, nostrumque judicium acuunt, quæ faciunt, ut non tantum ipsimet tranquille & feliciter vivere, tandemque beate mori, sed & aliis ita, ut idem ipsis contingat, prodesse cum in Ecclesia tum in Republica possimus. In quibus etiam studium Linguæ Græcæ præcipue ponendum esse, ut in studiosæ Juventutis gratiam hac auspicali mea lectione breviter ostenderem suscepi: & quidem ob eam maxime causam, quod illud nobilissimum atque longe utilissimum studium passim a Studiosis relictum atque neglectum esse multi Eru- ditissimi Viri mecum querantur. Quod ita non fieret, nisi multi parum utilitatis ad solidam eruditionem acquirendam illud studium conferre, atque sine illo ad quamcunque rerum optimarum cognitionem æque perveniri posse persuaderi sibi vulgo paterentur. Ego cum rerum cognitionem per se nulli peculiariter Linguæ adnexam esse adgnoscam, multos quidem sine Linguæ Græcæ peritia variis doctrinis & pulcherrimarum rerum scientia egregie instructos esse posse concedo; illos tamen si aliqualem hujus Linguæ notitiam junxerint, multo illustriores fore existimo, sine illa vero in quibusdam disciplinis neminem nomine dignum evadere posse contendo, & audacter pronuntio, Literas Græcas univèrse omnibus ad cujusvis doctrinæ studium utiles esse. Quod autem ut liquido appareat, dupliciter considerabimus Linguam Græcam: primo modo ad verba illius atque orationem potissimum attendemus, ad res, quæ per illam in Scriptis Antiquorum nobis traduntur non respicientes: altero dein ipsas res, quarum aditum nobis ejus linguæ cognitio patefacere possit, intuebi-

tuebimur; Utroque modo breviter videbimus illam omnibus, quorum animi diligenter ad veram in optimis quibusque excellentiam nituntur, neutquam mediocriter prodesse.

Priori itaque modo si de Lingua ista cogitamus,prehendimus statim, insigniter eam conducere ad Linguæ Latinæ cognitionem perficiendam: accurata vero hujus Linguæ notitia quin omnibus, qui ad aliquam eruditionis laudem aspirant, pro ut jam res Orbis terrarum se habent, maxime cum utilis tum necessaria sit, nemini cui sanum est synciput dubium esse existimo: hæc jam communis est illa omnium orbis Literati civium lingua: hac Eruditi quicquid lucubrationibus suis atque meditationibus commentantur plerumque exponunt: hac de omnibus inter se colloquuntur, de omnibus inter se communicant. Ista vero Lingua maxima ex parte suam Græcæ debet originem; Cui sententiæ Viri adstipulantur Doctissimi, Linguarum harum peritissimi: ex antiquioribus quorundam testimonia percipite: Dionysius Halicarnassæus Antiquitatum Romanar. Lib. I. ita scribit: Ῥωμαῖοι δὲ φωνὴν μὲν ἔτ' ἀκρῶς βάρβαρον, ἐδ' ἀπηρτισμένως ἐλλάδα φθέγγονται. μιλίην δὲ τινα ἐξ ἀμφοῖν, ἧς ἐστὶν ἡ πλείων Ἀιολίς. τὸτο μόνον ἀπολαύσαντες ἐκ τῶν πολλῶν ἐπιμίξεων, τὸ μὴ πᾶσι τοῖς φθόγγοις ὀρθοεπεῖν. *Romani sermone nec prorsus barbaro, nec exquisite Græco utuntur; sed quodam ex utroque mixto, cuius major pars est Æolica: Atque ex commercio multiplici hoc solum reportarunt, quod non omnia vocabula recte efferant.* Suidas in voce Νέβρα: Φαίνεται δὲ ἐν πολλοῖς μὴ διεσῶσα τῆς ἐλλάδος φωνῆς ἡ Ῥωμαϊκὴ. *Videtur autem Romana in multis non di-*

versu esse a Lingua Græca. Fabium audite excellentem illum Rhetorem, Institut. Orator. l. i. c. 5. *Verba, ait, aut Latina, aut peregrina sunt: Et mox Sed hæc divisio mea ad Græcum sermonem præcipue pertinet; Nam & maxima ex parte Romanus inde conversus est: & confessis quoque Græcis utimur verbis, ubi nostra desunt.* Et rursus eod. lib. c. 6. *Continet autem [sc. Etymologia] in se multam eruditionem, sive illa ex Græcis orta tractemus, quæ sunt plurima, præcipueque Æolica ratione (cui est sermo noster simillimus) declinata, sive ex historiarum veterum notitia.* Sext. Pompeius Festus in de Verborum Significatione p. 133. *Nummum ex Græco vocabulo Νέμμος existimant dictum, & tantundem apud nos & apud illos valere, quia pleraque nomina a Græcis accepimus.* & rursus p. m. 178. *Romanos in lib. XI. Græcos appellat Ennius. - - Non Romanos ait Græce locutos, cum Romulus urbis conditor verbis Linguae Latinæ locutus sit: sed quod olim lingua Græciæ gentis fuerit eadem cum Latina, parum prolatione mutata. Hoc autem verum esse indicat origo ejus, quæ videtur quasi Græcæ usurpatio.* Sed testibus quid opus? cum res ipsa manifesta est. Si qualiscunque Auctor Latinus sumatur, vix linea occurret, in qua plures voces non deprehendantur, quæ Græcam originem palam non adgnoscant. Re ipsa hujus rei periculum faciamus: Horatius Satyram primam l. i. Satyrar. sic incipit:

Qui fit Mæcenas, ut nemo, quam sibi sortem
 Seu ratio dederit, seu fors objecerit, illa
 Contentus vivat? laudet diversa sequentes?
 O fortunati mercatores, gravis annis
 Miles ait, &c.

De nomine Mæcenas, quia nomen est proprium, nihil dicam: *Qui* est Græcum τί, τ. mutato in κ. more Dorum, qui pro πότε dicunt πόννα, pro ὅτε, ὄνα. *Fio* est a Græco φύω, *produco*, *gigno*: unde est antiquum *fuo*, quo Comici crebro uli. *Ut* est ab ὤς, quod idem significat, σ. in τ, mutato, more Dorum & Æolum, ut a τόσα est Latinum *tot*, a μυρσίνη, *myrtus*, a πρασια, *pratum*. *Nemo* quasi *ne homo*. *ne* est Græcum νὲ, vel νῆ, unde interdum corripitur, interdum producitur. Ita Græcis νὲ in νέπυς, *pedibus carens*, qua voce pisces vocantur: νῆ vero in νήριθμος *innumerus*. *Homo* ab *humo* dictus dicitur; (*) *humus* vero a voce *humi*, quod Græcum est χαμαί. *Quam* est καὶ αὐ, vel est καὶν pro τὰν Dorice. *Sibi* est a σφίν, mutato φ in σ, quomodo pro φρύγες, veteres *Bruges* dixere. *Sors* aut a σωρός, *cumulus*, *aceruus*, quia accumulatur ea, super quibus fors ducenda: aut a σύρειν, h. e. *trahere*, quia ex vase aliquo sortem suam extrahere quisque solet. *Sen* est a *sive*: *sive* autem a *si*: *Si* vero est Græcum εἰ, præmissio σ, ut in multis aliis. *Ratio* a reor, *ratus sum*: reor vero vel a re: & res est καὶ ἀποκοπήν a ῥῆσις, quod est *dictum*: vel a πέω, quod est *dico*: sermo enim nostram mentem manifestat. *Dederit* a do, *dare*: quod est Græcum δώω, unde δίδωμι. *Fors* a *ferendo*, quia omnia fert: *fero* est Græcum φέρω. *Objecerit* ex *ob* & *jacio*: *ob* ab ὑπὸ, καὶ ἀποκοπήν: *jacio* vel est a

Latino

(*) Potius homo derivandus est a Græco ὁμός, cum ad Societatem cum aliis colendam sit factus, dictus quasi Socialis.

Latino *ico*, quod ab εἶκα præterito verbi ἵημι, *mitto*: vel ab ἔω, vel ἵημι, quod idem notat. Ille ab *is*: *is* est a Græco ὄσκει, καὶ ἀποκοπήν. *Contentus* a *contineo*: *teneo* vero est a τείνω, *tendo*: & probatur ex eo, quia Veteres pro *teneo* dixere *teno*, unde præteritum *tetini*; Festus: *tetini* pro *tenui*. *Vivo* est Græcum βιώ, in medio inserto digamma Æolico. *Laudo* a *laus*, *laudis*: *laus* vel a λαός, *populus*: *laus* enim sermo est populi: vel a λάω *eloquor*: vel a λαύω *fruor*, unde in usu mansit ἀπολαύω, *laus* enim fructus virtutis est. *Diversus* a *verto* ortum: *verto* est a τρέπω per μέλαθρον *literarum*, & π converso in *v* consonam. *Sequor* est ab ἔπομαι, conversa consonante priorē & spiritu aspero. *Fortunatus* a *fors*, de quo supra. *Mercator* a *merx*, *mercis*, quod a μέρος, *pars*, quia *merx* per partes venditur. *Gravis* est a βαρὺς per μέλαθρον *literarum*: dein β. converso in *v*. consonum & aspiratione in *g*. *Annus* vel ab ἔνος, quod Suidas *Annium* interpretatur, ε. in α. mutato: vel ab ἀνανεῖσθαι, ab *innovatione*. *Miles* a *meles*, ut *amicus* ab *amecus*: *meles* vero a μελία, *hasta*. *Ajo* a φάω *dico*. Ex quibus videtis ex viginti vel pluribus vocabulis, ex quibus quatuor isti versus constant, vix unum esse, quod manifestissime ex Græca Lingua non sit deductum: quod satis ostendit quam insignem linguæ hujus aliqualis saltem cognitio afferre queat usum.

Ipsam jam qua antiqui Scriptores Græci usi sunt orationem si spectamus, vah! quam in omni orationis genere excelluerunt! quanta venustas, quantus nitor, quantum artificium atque virtus orationis in ipsis ubique elucet! Ipsa eloquentia
non

non tantum nata sed & omni ex parte perfecta esse in Græcia videtur, ita ut hic nil videatur aliis relictum esse, quam ut Græcos imitari possint, consequi prorsus vel superare nequaquam sperent: & vero artis magna pars continetur imitatione, ut testatur Quintilianus Instit. Orator. l. X. c. 2. Jam eloquentiæ summam in omni vita utilitatem esse qui negare ausus fuerit, is operari quicquam in terra solis radios simul negaverit: Hanc excellentem veterum Græcorum in omni genere orationis virtutem prisca Romani diligenter conati sunt imitari. Homerum certe, cujus neminem similem esse pronuntiavit ipse Cicero l. 2. de Divinatione, quemque Aristoteles de Arte poetica λέξει καὶ διανοίᾳ πάντας ὑπερβεβλημέναι, oratione atque sensu omnes superavisse dixit, ita secutus esse scribitur Ennius, ut alter Homerus fuerit nominatus, quemadmodum Horatius l. 2. Epistolar. Epist. I. ad August. testatur:

Ennius & sapiens & fortis & alter Homerus,
Ut Critici dicunt: - -

Plautus vero æmulatus dicitur Epicharmum: Terentius expressit cum Apollodorum & Diphilum, tum imprimis Menandrum, unde dimidiatum Menandrum a C. J. Cæsare vocatum esse constat, de Horatio ita dicit J. C. Scaliger Poëtices l. 5. c. 7. *De Horatio quidem ita sentimus, si Græcorum Lyrica exstarent, futurum ut illius furta quamplurima deprehenderentur.* Virgilius Maro in Bucolicis imitatus est Theocritum, in Georgicis Hesiodum, in Æneide Homerum imprimis, in quarto autem ejus operis Apollonium. Cicero Demosthenem præcipue imitandum sibi proposuit, unde & Romanus Demosthe-

mosthenes dictus fuit: sane ipse Cicero in de optimo genere Oratorum gloriatur se vehementissimas Orationes, quas Demosthenes & Æschines cum totius Græciæ concursu habuerunt, pari vehementia sententiarum & sermonis expressisse: Et certe omnes, quorum

De meliore luto finxit præcordia Titan

Antiquos sive Græcos sive Romanos, qui tamen ipsi, ut vidimus, Græcos imitati sunt, in scriptione sibi studiose imitandos proponunt; qui profecto omnes uberrimum inde fructum reportant, si ista rite instituatur imitatio: fructuosa quippe non admodum, sed inanis & stulta est omnis, quæ verba modo atque verborum compositionem spectat: Rebus profecto, quæ oratione exprimuntur, præcipue hic intendenda mens est: Stultus labor est omnis qui vocibus vel linguæ tantum impenditur, nec ad rerum peritiam acquirendam dirigitur; Et tamen ea est stolidi multorum e vulgo persuasio, eum qui Latinæ aut alius Linguæ peregrinæ priscæ balbutire quædam aut crepare novit, jam prudentiorem præstantioremque esse. Cognitio qualiscunque Linguæ per se nemini prudentiam conciliabit; Inter priscos certe Latinos Græcosque æque imprudentium & ineptorum hominum, quamvis illas locuti fuerint linguas, ac nostris temporibus fuit copia: Perversus itaque mos est ille, qui apud multos obtinet, ut verbis præcipue & linguæ studeant, & antiquos scriptores ea solum sine lectitandos sibi existiment, ut eorum linguas discant, aut earum puritatem & verborum proprietates observent; Qui profecto illiberalem istum modum & stultam literis incumbendi methodum sequun-

sequuntur, quamvis se totos in addiscendis memoriter Auctoribus, & illorum phrasi diligenter exprimenda se ponant, hanc tandem laborum utilitatem consequuntur, ut puerili iudicio præditi, & ineptiis instructi, si ex umbra prodierint, sibi & publicæ rei inutiles esse deprehendantur:

Hos populus ridet, multumque torosa juvenus
Ingeminat tremulos naso crispante çachinnos.

Potior itaque semper sit cura rerum, quamvis cognitio verborum & Linguarum necessario præcedere debeat: Quare jam secundo loco paucis ostendam, quomodo Linguae Græcæ cognitio ad res præstantissimas nobis eximie prodesse possit.

Immensa vero se nobis hic offert rerum copia atque varietas: omnis fere Antiquitatum notitia ex Græcis tantum Auctoribus hauriri potest: nulla Philosophiæ pars est, cujus principia atque fundamenta a Græcis plenissime nobis non sint tradita: Hinc cognoscere possumus, quæ antiquissimi, non tantum Græciæ, sed totius fere Orientis Philosophi, de maximis rebus ingeniose sunt meditati, quorum pars magna ex purissimis ipsius Sapientiæ fontibus derivata est: Præcipui certe inter Græcos Philosophos ab ipso Dei Populo suam hausisse Philosophiam non indubie memoratur: Pythagoram certe non sunt nulli qui religione omnino Judæum fuisse existiment: Etiam Platonem, cujus Scriptis nihil in philosophia excellentius, nihil sublimius unquam ab hominibus scriptum aut commentatum extare non vereor affirmare, quemque Arnobius l. I. adversus gentes non dubitat sublimem illum apicem Philosophorum & columen appellare,
imo

imo Cicero l. II. de Natur. Deor. quasi quemdam Deum Philosophorum vocat, præcipua sua dogmata a Judæis accepisse, exstant Auctorum nec paucorum, nec ignobilium testimonia clarissima. Unius nobis pro reliquis omnibus Clementis Alexandrini sufficiat meminisse. Is in hortatorio Platonem allocutus: Πόθεν, inquit, ὦ Πλάτων, τὴν ἀλήθειαν αἰνίτῃ; Unde tu, o Plato, sumptam veritatem ænigmatice doces? Mox inter alios, barbaros utique, prout Græci censebant, quos Magistros habuisse, nec Plato ipse diffitetur, de Hebræis: Νόμος δὲ τῆς, ὅσοι ἀληθεῖς, καὶ δόξαν τὴν τῆ Θεῶ, παρ' αὐτῶν ὠφέλησαι τῶν Ἑβραίων. *Quod attinet Leges, quæ veræ sint & dogmata de Deo, per Hebræos ipsos profecisti.* Idem Pædagogi l. 2. c. 1. Platonem ait τὸ ἑναυσμα τῆς Ἑβραϊκῆς φιλοσοφίας ζωπυρῆσαι, *Philosophiæ ab Hebræis acceptæ igniculos sive fomitem apud se fovisse & suscitasse.* Et rursus Stromateων l. 1. Ὁ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφος Πλάτων, *Qui ex Hebræis philosophiam hauserat Plato.* Et Operis ejusdem l. 5. Ὁλωσ ὁ Πυθαγόρας καὶ οἱ ἀπ' αὐτῆ σὺν καὶ Πλάτωνι, μάλις α τῶν ἄλλων φιλοσόφων σφόδρα τῷ Νομοθέτῃ ὠμίλησαν. ὡς ἔστιν ἐξ αὐτῶν συμβαλέσθαι τῶν δογμάτων. *Omnino Pythagoras ejusdemque Discipuli, una cum Platone, in Legislatoris [Mosis nimirum] Scriptis oppido versati sunt: quod ex scitis ipsorum conjicere promptum est.* Imo l. 1. Numenium laudat Pythagoricum, qui dixerit: Τί γὰρ ἐστὶ Πλάτων, ἢ Μωυσῆς Ἀττικίζων; *Ecquid enim est Plato, quam Moses Atticissans?* Sed de Priscis Græciæ Philosophis & fructu, qui ex monumentis & scriptis ipsorum, quæ quamplurima & excellentia nobis relicta exstant, percipi possit, plura dicere tempus non permittit.

Viden.

At videndum paucis peculiariter, num & alios, qui vel arti medicæ, vel juris atque politicæ prudentiæ, vel Theologiæ studium suum locant, singulare quid juvare Litteræ Græcæ possint; Quanquam emolumenta, quæ ex Philosophicis Græcorum Scriptis capi possunt ad omnes alios spectant: quippe Philosophia ad alias omnes Scientias sese late extendit, vel certo potius modo eas omnes in se complectitur: ut adeo pessime sibi consulat quisquis, vix procul salutata Philosophia, ejus præceptis

Χείλα μὲν ῥ' ἐδίην, ὑπερώην δ' ἐκ ἐδίηνε.

Labia quidem madefecit, palatum vero nequaquam madefecit, & illius studium ut remoram relinquit, sicque ἀνίπτοις ut ajunt ποσὶν ad Medicinæ, vel Jurisprudentiæ, vel Theologiæ studium ruit; qui profecto inconsiderate ita quæsito compendio in maxima incidit dispendia. Ista itaque quo modo a Græcæ Linguæ cognitione promoveri possint studia, ut aliquid dicam, primo statim copiosa pulcherrimarum frugum, quam ex celeberrimis Græcorum Scriptis Artis medendi studiosi demetere possint, messis occurrit: Dioscoridis, Theophrasti, Nicandri, Aëtii, Tralliani, Galeni aliorumque excellentia Scripta magnos hinc inde usus in re Medica præstare possunt; admirabile vero est quantum inter omnes illos unius HIPPOCRATIS excellentiant Scripta: certo affirmare ausim neminem rei Medicæ intelligentem futurum, si Græce scripta percipere possit, quin ex Lectione cujusque ex ejus operibus eximiam tum jucunditatem tum utilitatem reportare queat: Accipite quæso Celeberrimi quondam Medici Joh. Heurnii de Hippo-

crate ejusque scriptis judicium in libello de studio Medicinæ: *Hippocrates vetus medendi dictator habitus semper: hujus scripta tanquam oracula & non humanæ linguæ verba, tota amplectitur antiquitas, tanquam du- cem & auctorem omnium disciplinarum: qui, ut ait Celsus, Vir fuit arte & facundia clarus, quique, ut scribit Macrobius, tam fallere, quam falli ne- scit: In hoc verborum pressa proprietas, senten- tiarum concisa subtilitas, sermonis veneranda an- tiquitas, artificii commendabilis dignitas, in cujus scriptis nihil superfluum, ociosum nihil: sed argu- ta brevitare rotunda omnia & significantia; Ita ut ubertas & amplitudo rerum verborum numerum longe vincat. Hæc genuina & propria sunt Hip- pocrati, cujus tanta fuit benignitas, ut nihil scive- rit, quod nos nescire voluerit: tanta autem soler- tia & sapientia, ut nemo post eum sciverit, quod ipse ignoraverit: In eo enim cuncta Medicinæ se- mina animadvertas, quæ tamen in facienda Medi- cina melius quam ex commentariis ad eum scrip- tis animadvertes. Hactenus Heurnius.*

Jam vero videndum est, ecquid utilitatis ex isto Linguæ Græcæ studio in S. Themidos Cultores re- dundare possit. Equidem fateor non multum qui- dem illud esse, si ad forum illi festinantes id tan- tum agant, ut rem cito faciant: plurimum vero si percoctam sibi sapientiam & nomen eximium exoptent. Si enim Jurisconsulti domus, (ut apud Ciceronem exstat L. I. de Oratore) totius Oracu- lum Civitatis esse debeat, sique is cupiat posse suo jure dicere se esse eum, unde sibi Populi & Reges & omnes sui Cives consilium expetant, suarum rerum incerti, quos sua ope ex incertis certos, compo-

compotesque consilii dimittat, ut ne res temere tractent turbidas: singulari profecto rerum cognitione instructum illum esse oportet: requiritur ut humaniorum nequaquam sit rudis, artis dicendi non parum peritus, antiquitatis memoria pollens: calleat is hominum ingenia, instituta, mores: noscat Reipublicæ regendæ rationem atque scientiam: ad quæ omnia & alia insuper ex Græcis Scriptoribus ubique mirum quantum juvari possit: Græcorum profecto Rhetorum atque Oratorum, quos omnis antiquitas mirabatur, Scripta quamplurima atque excellentia suppetunt, Historiam antiquis præcipue nulli melius scripserunt: undique Prudentia confirmari, augerique potest: Ubique apud Græcos Scriptores occurrunt optimæ Leges & Jura antiquorum in Græcia populorum: Imperatorum Constantinopolitanorum constitutiones, inter quas etiam sunt illæ, quas vulgo Novellas vocant, e Græcis sunt accipiendæ.

Theologiæ denique studio consecratis Græcæ Linguæ cognitionem utilem esse & pene necessariam, vix opus esse ut aliquid dicatur existimo, cum illud omnibus manifestum sit: Ipsa enim illa sanctissima Doctrina, quæ mysterium gratiæ hominibus manifestat, & illos ad ipsam Salutem perducit, hoc sermone consignata nobis relicta est; ad quod igitur aliud quæso Studiosorum Verbi divini ministerio dicentium ita assiduo applicata debeat esse occupatio, quam ut ex ipsis Græcis fontibus salutarem Evangelii doctrinam haurire possint. Alienis, non propriis, oculis videre coguntur ii, quibus Interpretum fidem tantum sequi necesse est: in aliis falli rebus non ita damnosum: in

rebus vero, quæ salutem nostram & aliorum æternam concernunt, decipi miserimum est. Et quomodo Theologus sanctissimam nostram fidem contra vaferimos hostium insultus & technas astutissimas digne defendere queat sine Græci contextus N. Test. intellectu? Insuper Sanctorum Ecclesiæ Patrum Scripta Græco præcipue sermone confecta Theologo utilia esse posse qui probare conatur, is eadem opera demonstrandum susceperit Solis radios frugibus maturandis conducere.

Verum multi existimant præcipua emolumenta, quæ ex Græcis Scriptoribus in nos pervenire possint, ex translationibus seu versionibus illorum haberi posse, neutiquam proin opus esse, ut Græce quis intelligat; Ego profecto non invitus largior maximam partem eorum, quæ nobis ex Scriptoribus Græcis usum aliquem afferre queant, ex Interpretationibus eorum haberi quidem posse, si interpretationes istæ fideliter & docte fuerint confectæ: at sancte asseverare audeo maximam optimorum Auctorum Græcorum partem innumeris in locis male & inepte esse translata: unde quandoque proveniunt illæ de optimis Græcis Scriptoribus querelæ, quod inepte illi aut obscure aut falso de multis scripserint: quæ pleraque tamen soli interpretum ignorantia adscribenda essent; Qui optime Græcos intellexerunt Auctores, raro admodum ad transferendos illos se applicuerunt, aut tales fuerunt, qui Linguam quidem egregie callebant, rerum vero de quibus Auctor, quem transferendum susceperunt, scripserat, parum intelligentes; Non pauci deinde ex Græcis ab iis sunt translati, qui modice admodum Græce sciebant.

bant. Hinc crebri passim observari solent errores eorum, qui Interpretum explicationi tantum confidunt. Non certe ab omnibus postulari potest, ut Græca ita perfecte calleant, ut Interpretum auxilio non egeant: utilissimum tamen est Interpretis verba quandoque cum Auctore ipso conferre posse, iis præcipue in locis, ubi aliquid hæsitatur.

Tempus vero jam monet, ut aliquid dicam, quomodo incipiendum atque proseguendum putem studium illius Linguae, de cujus Utilitate hætenus dictum, id ergo ut promisi paucissimis verbis absolvam: Primo itaque neutiquam copia regularum Grammaticalium addiscenda cruciandum esse tyronem existimo: Præcipuæ earum a Magistro inde dum Auctor aliquis explicatur, tyroni aptissime inculcari possent. Declinationes vero Nominum, quibus articuli atque Pronominum inflexiones jungendæ sunt, atque Verborum Conjugationes primo statim sunt addiscendæ: nec, ut quidam existimant, Dualem Numerum omittendum esse existimo: is enim ad lectionem optimorum Auctorum prorsus cognitu necessarius est, nec adjunctam habet, quæ fugienda esset, difficultatem: & mox iis aliquo modo perceptis applicandus est animus lectioni alicujus Auctoris e facillioribus: Ἐρέτην δὲ πρῶταν γενέσθαι πρὶν πεδαλίαις ἐπιχειρεῖν, *Remigem prius esse oportet, quam clavo admoveas manum*: Illi tamen faciliores insignem simul junctam habeant utilitatem, & ex iis, qui in prosa scripserunt, eligantur. Cum itaque Sacri Scriptores Novi Testamenti stylo admodum facili ad captum omnium hominum accommodato fuerint usi, atque alias omnium studiorum auspicia a Libris sa-

cris duci debeant, fierique, ut veteres Poëtæ canebant, ἐκ Διὸς ἀρχή: a Novi Testamenti lectione sedula initium sumi possit: cui dein jungi debeant alia, ut Isocratis quædam, Epicteti Enchiridion, Æsopi Fabulæ, etiam faceti illius Luciani, qui Erasmo nostro in deliciis fuisse dicitur, non pauca: nec non Herodiani & Æliani Historiæ. Hisce mox adhiberi possit jucundissimi illius atque utilissimi Scriptoris Xenophontis Cyropædia, quem librum memoriæ proditum est Publ. Scipionem Africanum priorem, omnis memoriæ Clarissimum Ducem, tanti fecisse, & tantopere ejus lectione fuisse delectatum, ut eum de manibus nunquam poneret; Quod animadvertere debeant illi e Studiosis, qui, quamprimum ad altiora sese applicare cœperunt, bonos Auctores de manibus seponendos esse existimant, quasi eorum lectio non nisi ad pueros pertineat: Quidam etiam bono ingenio præditi ea, quæ in ludo puerili principia Græcæ Linguæ aliquo modo degustaverunt, ubi pedem in Academiam intulerunt, abjiciunt potius, quam institutum prosequantur; Ita faciunt hi jacturam operæ tot annorum bene positæ si pergerent. In enumeratis vero Auctoribus si quis probe fuerit exercitatus, pedetentim ad difficiliore ascendere possit. Interim mature positus in prosa oratione fundamentis asuefaciendus est Græcarum Litterarum Cultor lectioni Poëtarum: quorum quidem primo facillimi quidam eligi debent, ut Phocylidis, Theognidis & Pythagoræ Carmina: Musæus dein, Heliodus, Moschus & Anacreon addi possunt: post quos ad Homerum, Poëtarum illum Principem transitus fieri possit: Homerum certe, quem olim tam Romani quam Græci filios a pueris

ris legere & ad unguem ediscere jufferunt, non ut tantum varietate & vicissitudine rerum a Poëta singulari arte repertarum & explicatarum, animos oblectarent: sed ut cum voluptate, quæ percipitur e talibus, ea pueri imbiberent, quæ adultiores domi & foris & intra parietes & in urbe, & in suis & publicis negotiis usurparent: cognosci enim posse ibi omnem vivendi atque recte vivendi rationem judicabant, quod nihil omnium a Poëta esset prætermisum; & [ut Horatius Epistolar. Lib. 2. ad Lollium]

Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile,
quid non
 Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

Sed plura de istis dicere non audeo: Vos tamen bonarum Literarum studio dedicati Musarum Cultores optimi paucis adhuc mihi alloquendi estis: Percepistis quam utile, quam necessarium sit ad quamcunque Eruditionem comparandam Linguæ Graecæ studium: percepistis etiam quomodo illud studium sit aggrediendum: Agite igitur, in cœpto studiorum cursu strenue pergite: ad eos, qui ex Graecæ Linguæ cognitione capi possint fructus adquirendos alacriter contendite: Ne vobis ipsimet nimiam hic difficultatem fingite: Cogitate neminem sine labore, sine vigiliis posse pervenire ad ea, quæ nos a vulgo separant: Cogitate nihil tam arduum, nihil tam difficile esse, quo humani ingenii vis penetrare non possit, cogitate nihil sapientia pulcrius, nihil virtute amabilius esse: Cogitate radices studiorum amaras esse, sed fructus dulces, & quæ laboriosa sunt juventuti studia, ea jucunda esse senectuti otia: Deus omnis Sapien-

tiae atque Boni Fons unicus vestris conatibus atque studiis omnibus benignissime cœlitus semper benedicat.

Tibi vero Omnipotens & Sanctissime Deus gratias ago quantas cogitatio mea comprehendere potest maximas, laudesque canto immortales pro innumeris tuis beneficiis, quibus me indignum hactenus ita profuse cumulare voluisti:

Si vox infragilis, pectus mihi firmiter esset,
 Pluraque cum linguis pluribus ora forent:
 Non tamen idcirco complecterer omnia verbis,
 Materia vires exsuperante meas.


O Deus mi quid rependam Tibi pro tot tantisque benefactis tuis? Tua sunt omnia mea, & a tua benignitate unice in me profecta: Tuus sum: Tibi me trado & offero totum: ne, Clementissime Pater, repelle quae tua sunt: Perfice quod tuum est, & praecipue opus functionis hujus mihi commissae, hac vice gratia tua feliciter cœptum ita porro fortuna, ut labores mei omnes sint sanctissimo Nomini tuo gloriosi, Publicae Rei utiles, mihi vero ipsi salutare: Fac etiam o benignissime Deus, ut tota Patria nostra Helvetia, inclyta imprimis haec Basilea, in eaque Respublica, Ecclesia, Academia, caeteraeque Scholae, earumque Proceres, Antistites, Doctores, pace, tranquillitate, virtute, pietate, doctrina, studio, omnidenique felicitate usque floreat, vigeant, abundant, proficiant, perseverent: Idque suppliciter peto per D. N. J. C. Amen.

Ad

Ad Vos vero jam orationem convertam, *Magnifice D. R. &c.* qui haec nostra initia vestro auspiciatissimo conspectu rite secundare dignati estis. Ingenius quidam animi ardor in Virtutum vestrarum laudes hic me rapiebat: sed huic voluntati meae imbecillitatis intercessit conscientia. Tantum enim abest, ut quidquam adstruere possim vestris laudibus, ut potius multum de cumulo demturus sim, si eas partes attentavero; Simul etiam verendum mihi erat, ne gratiam aucupari potius, quam liquidam veritatem proponere viderer. Tutius igitur & religiosius fuerit, si honore silentii supprimam, quod voce & stylo exprimere non valeo, ad exemplum ingeniosi illius Pictoris, qui velo inumbravit, quod penicillo repraesentari posse desperabat. Quod tamen a me sine ingrati animi nota omitti non decet, singularia & eximia, quæ ab insigni favore vestro atque benevolentia hactenus in me profecta sunt, beneficia omnibus celeberrimis modis prædicoque, simul etiam, quum pro iis gratias habeo, & quoad vitam habiturus sum, Vobis quam possum maximas, tum quod seria vestra levioribus istis nostris posthabere non fueritis gravati; Ego certe omni mea cura, studio, observantia, officiis atque diligentia enitar, ut Vos nunquam, quod vestra apud me beneficia male posueritis, conqueri merito cogamini: Deum insuper T. O. M. sollicita rogabo voce, velit Vos omnes & singulos omnibus bonis cumulatòs Familiis vestris, Academiae, Patriæ, Orbi denique Literato diu diuque salvos & incolumes conservare.

Vobis etiam *Graviss. D. Scholarchæ &c.* haud mediocriter me esse obstrictum confiteor: & gratias ago quam possum maximas, quod gravioribus vestris negotiis sepositis auspicalem meam Lectionem honorifica vestra præsentia decorare voluistis: facile inde perspicio insignem vestram erga me benevolentiam & favorem singularem; Quæ certe vestra voluntas ne unquam a me alienari possit omni cura atque diligentia efficiam: omni profecto studio, omni observantia Vos colam, & omne quodcunque a me proficisci possit officium Vobis semper præstabo; Numen etiam Divinum submissa mente venerabor, ut Vos omnes & singulos incolumes florentesque, & in suo quemque munere felices, fidos, industrios in longum tempus esse velit.

D I X I.



JO.